

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Lunæ vigesimo-tertio mensis Decembris, M. DCC. XXXVII.

M. JOANNE-BAPTISTA THOMA MARTINENQ, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Magnatibus, Venari saluberrimum?

I.



VIX dum lapsus erat homo, cum jam vultûs in sudore (a) panem comedit. Factus illicò morti subditus, corporis animique morbos, lethi causam ut plurimùm aut satellites, à se, quantùm licebat, amovere tenebatur. Hinc mortalium vita, si non perennis (b) ægritudo, saltem indesinens labor. Labor quidem operosus, quo dies noctesve nititur natura solers, eam inter partes hominis restituere motuum æquabilitatem, in quâ fuerat hic (haud mortalis) à Creatore primùm constitutus. At quàm irrita sæpiùs naturæ molimina! Cum

a *Genes. c. 3. v. 19.*

b Totum hominem à nativitate morbum esse pronunciavit *Hippocrates, in Epist*, idem *Plato* in Axiocho. *Guill. de Baillou Disput. Quodlibet.* 12 *Novemb.* 1615.

vivere velle, nec ſervare vitam, proprium ſit gentis humanæ vitium. Quorsùm igitur certis quibuſdam hominibus naturaliter obtigit partiûm corporis omnium egregia conformatio? Quorsùm innata partium earumdem optima *diatheſis*? Quid prodeſt in eorum fronte ſerenitas? Quid gravitas, in ſuperciliis? Quid in oculis, fulgor; decor, in naſo; in genis, nitor; venuſtas, in ore; in mento, dignitas; in univerſo corporis habitu, dulce majeſtatis, urbanitatiſve connubium, quod vi ſuâ, cunctorum oculos ad ſe rapit & allicit? Quid firmitas, humeris; lacertis, robur; membris, agilitas? Quid tandem eos ubique comitantur veneres, gratiæ, ſales: Quum tot naturæ muneribus ac donis utantur præpoſterè, ne dicam, abutantur? Quot immò ſuæ ipſi ſalutis (c) fiunt plerumque proditores, dum, peſſimo vivendi genere, decoquere ſanitatem non reformidant? Sic plures, non ex naturæ voto, ſed immaturi & ante diem pereunt. Vis autem corpore ſimul & mente ſanus, lucem intueri? Vis pubertatem ſervare diù & jucundè? Victui adhibeas modum. Hic vulgaris apex humanæ felicitatis, ad quam amicâ facilique manu nos ducit *Hygieine*, pars Medicinæ princeps. Diem interitûs, quem ſæpè maturaſſet incondita victûs ratio, quoties arte ſuâ non moratus eſt, *diæteticorum* præceptorum ſciens, prudenſque naturæ interpres & adjutor, Medicus? *Diætæ* leges ſpectant potiſſimùm aërem; cibum, potum; motum, quietem; ſomnum, vigiliam; excernenda, retinenda; & animi *pathemata*: de quorum omnium ſalubritate, ordine, indole, viciſſitudine, menſurâ, & uſu, ſolius eſt Medici rectè diſſerere, ſtatuere, pronunciare. Magnum opus omninò (d) & arduum; ſed artis ſuæ amanti & verè Medico nihil difficile. Quot hujus Decreta, tot extant Oracula. Non ergò ſatis eſt in vitâ, nihil prorsùs ultra modum aggredi, niſi hoc ipſum, quod ſuſcipitur laboris, exercitationiſve genus, honeſtum ſit, ſuave, licitum; ætati, ſexui & conditioni cujuſvis accommodatum. Quid enim ad vitam ſalubriùs, diutiùſve protrahendam magis conferre poteſt; quàm ſummâ cum jucunditate & ſecuritate, tempus traducere?

c *Guid. Patin. Diſp. cardin. 14 Martii 1646.*

d *M. T. Cicero Orat. 33.*

I I.

EST profectò, ut in Poëſi (a) & Picturâ, ſic etiam in Medicinâ felix (b) indoles quædam, quam niſi ab ovo accipias, egregii Medici dotes conſequi incaſsùm tentaveris. Donum eſt cum vitâ quaſi divinitùs conceſſum, quod nec induſtriâ, nec arte ſolâ comparatur. Hinc quibus ab incunabulis recta mens deeſt, iis frequenter accidit, ut (c) plurima intelligendo nihil intelligant, & cum ſapere multùm didicerunt, paulò dementiores factos ſe probent. Feraciſſimus etſi Medicinæ campus, non omnibus tamen ex ejus culturâ ſuus venit honos. Alios copia ſeminum, ſerendi ratio alios deficit. Hinc Medici (d) famâ quidem & nomine multi; re autem & opere valdè pauci. Vir itaque ſagax caveat decipi cum vulgo. Verum à falſo diſcernat Medicum, cui valetudinis ſuæ curam committat. Quid enim hâc in vitâ, ſanitate præſtabilius? Quid, optabilius? Functionum hominis integritas, quam & ſanitatem vocant, partim ab innatâ pendet corporis incolumitate, partim à rerum non naturalium uſu. At quoniam ſic à naturâ res ejuſmodi conſtitutæ ſunt, (e) ut niſi prudenter adminiſtrentur, obeſſe magis homini, quàm prodeſſe ſoleant; ideò maxima, quæ in ſingulis cautio requiritur, tum præcipuè in corporis animique motibus eligendis, regendiſve adhibenda. Quicunque, proſperæ conſtitutionis fovendæ causâ,

a *Joann. Franc. Deladucquerie, Quæſt. Med. agit. Cadom. 16 Maii 1701.*

b

c *J. F. Deladucquerie. ibid.*

d *Hipp. in Leg.*

e *De quibus hygieine.*

b Hanc *Hippocrates* in lege, naturam vocat, quâ repugnante, omnia irrita fiunt.

paulò vehementiùs & uſque ad anhelitum movetur, is dicitur exerceri. Motus, exercitatio, labor : diſtincta quidem nomina, unum ſunt & idem. Nulla proinde exercitatio, laboris expers : nulla, niſi motûs particeps. Mirum, quot à veteribus ad ſanitatem tuendam excogitatæ fuerint exercitationum artes, unâ *Gymnaſtices* diſciplinâ comprehenſæ ! *Gymnaſtices* (*f*) antiquitatem, nobilitatem, famam & neceſſitatem ; exercitationum (*g*) commoda generatim & incommoda ; ſingularum diſcrimina (*h*), vires (*i*) & effectus, tam eleganti ſermonis lepore, tanto eruditionis ac doctrinæ cultu, deſcripſerunt, poſt *Mercurialem*, hujus Academiæ Magiſtri clariſſimi, ut nihil ad eorum ſtudium ampliùs addi poſſe judicaverim. Aurea nihilominùs vetuſti cujuſdam Medici ſuper motu Carmina, huc revocare non erit forſitan injucundum (*k*).

Protinus aſſiduos ni fortè requiritis hauſtus,
Pharmaca, vel pilulæ nobilis antidotum,
Surgite jàm lenti Convivæ : Corpora torpent
Veſtra, petunt motus tempora certa ſuos.
Relliquiæ ſaturo reſecatæ à ventre ſuperſunt ;
Sedulus has ſolvet, cum labor auctus erit.
Hic ſaliat ; faciles alius decantet amores ;
Curſitet iſte ; leves torqueat ille pilas ;
Quadrupedi inſideat ſpectabilis ille feroci ;
Iſte leves cervos, ille ſequatur apros.
Sic agite, in valido dum creſcunt pectore vires,
Nec finite à feſſo ut corpore ſudor eat.
Naturæ hinc labor invigilat, benè concoquit ; omnes
Effugiunt ſordes ; & famis ardor adeſt.
Segnities, torporque abeunt, &c.

k *Baptiſt. Fiera. in cœna. Pariſ. 1533. pag. 46.*

Nullis porrò vivendi legibus quamvis obſtrictus eſſe debeat ſanus homo, ſibi tamen à multis commodiſſimam & convenientem eligant Magnates exercitationis normam, cui ſuaviter tutòque indulgeant. An non delectat (*l*) ſingulos, quodcunque ſingulorum naturæ congruit ?

l *Ariſtot. Polit. l. 8. c. ultimo.*

f P. J. Burette, Diſput. Cardin. 5 Maii 1707.
Idem. Diſput. Quodlib. 28 Novemb. 1715.
g D. Defarcy, Diſput. Cardin. 28 Martii 1715.
A. P. Mattot, Diſput. Cardin. 20 Martii 1727.
F. Bailly, Diſput. Cardin. 19 Martii 1737.
h Cl. Guerin, Diſput. Cardin. 31 Martii 1667.
i P. J. Burette, ibid.
N. Andry, Diſput. Cardin. 4 Martii 1723.

III.

HUMANI generis incunabula, (*a*) nec ædibus, nec muris circumdederat opifex, ædificatorque mundi, Deus. Nulla parentibus primis erant oppida, civitates nullæ. Quos naſcentes exceperat rus amæniſſimum, benignuſque fovebat ſolis aſpectus, hos raræ duntaxat & fugaces arborum umbræ ab æſtu nimio tutabantur. Nundum enim pluerat ſuper terram (*b*), nec erat homo qui

a *J. Robert. Diſp. cardin. 22 Sept. 1695.*

b *Geneſ. c. 2. v. 5.*

operaretur in eâ. Nundum arva diſtinxerat limes appoſitus. At poſt peccatum, cum vidiſſent mortales maledictam (c) ſibi tellurem eſſe in omnibus operibus ſuis, varias meditando ſenſim extuderunt artes, quibus laboranti naturæ ſuccurrerent. Quid improbus non vincit labor? Quid urgens non cogit egeſtas? Hinc in ipſo propemodùm orbis principio (d) videas à patribus noſtris veſtes pelliceas primùm ſibi concinnatas; videas ab iiſdem excultos agros, (e) fineſque in ipſis conſtitutos; videas conſtructa (f) tabernacula, domos & urbes conditas, (g) eaſque circumſeptas mœnibus, ut vitam ſuam non minùs ab injuriis tempeſtatum, quàm à ferarum immanitate ſervarent incolumem. O dira hominum conditio! Quibus, ſubditorum ſibi primitùs animalium, nunc venit expugnanda, domandaque feritas, ipſiſmet alioqui nocitura. Verùm, (h) his vel punimur, vel exercemur, vel terremur; quòd ſimus mortales. Artes ergò ſi peperit neceſſitas, quis Venationem omnium primùm inventam, aut ſaltem agriculturæ coœvam non affirmaverit? Quomodò enim è belluarum pellibus ſibi & *Evæ* tunicas fabricaſſet *Adam*, quin priùs ad ferarum inquiſitionem ſe applicuiſſet? Numquid in eſcam hominis (i) è terrâ quadrupedes & plantas eduxerat Protoplaſtes? Quorſùm *Cain* & *Abel Adæ* filii, pecudum greges alebant (k), cædebantve, niſi ut ex ipſis partim & veſcerentur? An ſolum vertere, ſegetes aratro ſubigere, ſpargere ſemina, fructus metere, armentaque cuſtodire tutò potuiſſent, niſi ſubmotâ identidem atque repulſâ beſtiarum in campos irruptione? Mortales itaque nihil habuerunt antiquius, quàm ut, vivendi, colendi, paſcendive causâ, bella feris primùm indicerent. Nec mirum, ſi natâ, paulò poſt diluvium, ex *Noe* filiis ſplendidâ (l) juventutis multitudine, conſanguineos inter exorta ſint diſſidia. Prædæ namque ſimul omnes cupidi, loca venatibus opportuna magis certatim, aliuſque alio avidiùs ambiebant. Hinc venandi dexteritate ac robore qui præſtabant aliis, ſaltus & agros venationibus affluentes, primùm occupavere; tum & affines, in ditionem ſuam redigere non dubitaverunt. Sic *Nembroth* ex *Noe* pronepos, vir audax (m) & manu promptus, robuſtuſque venator (n) coram Domino, primus omnium fuit (o) potens in terrâ, primuſque Tyrannidem (p) ſeu Regiam (q) Poteſtatem exercuit. Sic omnia quæ jure naturali erant communia & indiviſa omnibus, (r) veluti unum cunctis patrimonium; jure poſteà civili occupantium propria cœperunt eſſe. Hinc regionum, provinciarum atque gentium diſcretio; nec aliunde bellorum, imperiorum, regnorum, magiſtratuum & legum origo deducenda. Sed quoniam in unâ quâque dominatione prædia extabant, vel territoria, partitioni minimè idonea: ut maria, flumina, lacus, montes & ſylvæ, quæ variis animalium generibus ac ſpeciebus circumfluebant; ideò hæc eadem ſub imperatoris ac regis (s) dominio, cujus erant, individua permanſerunt. Venandi autem ſtudium, artiſque hujus delicias ad reges & principes jure quodam divino pertinere palam indi-

c Geneſ. c. 3. v. 17.

d Div. Hyeron. teſte. Polyd. Vergilius de invent. rer. l. 3. c. 6.

e. f. g.

h Div. Auguſt. l. 2. de Geneſ. adverſus Manich.

i

k Joſephus l. 1. Antiq. c. 3.

l Joſeph. l. Antiq. 1. c. 5.

m Joſeph. ibid.

n

o Geneſ. c. 10. v. 8.

p Joſeph. l. 1. Antiq. c. 5. & 7.

q

r Inſt. Juſtin.

s F. Delaunay de Ven. Jur. p. 102.

e CAIN, *Adæ* filius, terram primus reperitur coluiſſe, primuſque terræ terminos fecit. *Joſeph. l. 1. Antiquit. cap. 3.*

f JOBEL ex LAMECH genitus, primùm tabernacula conſtruxit. *Joſeph. ibid.*

g CAIN, *Adæ* filius, NAÏDA primùm condidit, & poſtea civitatem extruxit, muriſque munivit: Hanc autem civitatem ab ENOCH, filio ſuo ſeniore, ENOCHIAM appellavit. *Joſeph. ibid.*

i Et omne, quod movetur & vivit, erit vobis in cibum. *Gen. c. 1. v. 29. & c. 9. v. 13.*

n Hinc exivit proverbium: quaſi NEMBROTH robuſtus venator coram Domino. *Gen. c. 10. v. 9.*

q Erat autem principium regni ejus BABYLON, & ARACH, & ACHAD, & CALANNE in terrâ Sannaar. *Gen. c. 10. v. 10.*

cant, & ab *Isaac* impertita benedictio *Esau*, (t) & à *Daniele* (u) facta somnii *Nabuchodonosor* interpretatio. Venari ergo (x) si Divinum est : canes & equos alere (y) si Regium. Quænam voluptas alia, Magnatum & conditioni & naturæ poterit, ipso venatu, esse convenientior ? An exercitatio nobilior ? An jucundior & (z) sanioris protrahens sœcula vitæ ?

t. u. x *Xenoph. in Cyropæd. & de Ven.* y *M. A. Blondus. de Venat. p. 2. & 27.* z *Savary de Venat. lepor. l. 1.*

t Esau mœrore, commotus Isaac, postquam à Jacob se fraudulenter deceptum esse perciperet : Esau benedicit, prædicitque ipsum, studiis quidem venandi, & robore corporis, & armorum præstantiâ celebrem fore, eamque gloriam tam ipsi quàm posteris permansuram. *Josephus l. 1. Antiq. cap. 18.*

u Tu es Rex Regum, inquit Daniel ad Nabuchodonosor, Deus cœli, & regnum, & fortitudinem, & imperium dedit tibi : omnia in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri : volucres quoque cœli dedit in manu tuâ, & sub ditione tuâ omnia constituit. *Daniel. c. 2. v. 37. & 38.*

IV.

EXERCITATIO, corporis & animi peracta motu, quæ versatur præsertim in quadrupedibus, vi ac dolo, capiundis expugnandisve, venatûs nomine decoratur. Hic Procerum honestissimus labor atque gratissimus, Magnatum deliciæ, vera (a) bellicarum rerum judicatur esse meditatio. Piscandi & aucupandi artes caveas æquiparare venatui. Prima, dum piscator tremulos inescat pisces, eosve cæruleo de gurgite retibus educit in aëra, propter hami tarditatem, desidis est hominis : ob aquarum injurias, (b) noxia ; hinc vilioribus derelicta mancipiis. Altera, dum volucrem auceps committit volucri, aut calamis & cantu fallit aedonas, tenerasve laqueis palumbes intercipit atque coturnices, plùs reapse delectaret, (c) nec Optimatibus indigna videretur, si sana magis, aut minùs esset obnoxia servituti. Adolescentiæ igitur meliora nundum expertæ studium esto ; vel inertis aut avaræ oblectamentum senectæ. Venandi autem ars ingenua ; omni cognita sæculo, nullibi non exculta, Nobilibus licita ac reservata Principibus : non pedicis, ut olim, non formidine, non speculis, non maculis, non cassibus, foveis, facibus ; at equis, canibus & armis feras potissimùm insectatur. Præstantissimæ cujuslibet exercitationis quoddam (d) veluti compendium est : sive dum venator alipedes insequitur cervos ; sive dum lepores timidos lacescit ; sive dum capras ovesque provocat agrestes ; sive dum in apros spumantes ardore, furit ; sive dum vulpes dolosas, crudelesque lupos exagitat, ferarumve genus aliud * impetit : sua interim purpureo nobilitans cruore certamina. Talia quisnam ausit (e) simul æquâ lance librare ? Venatus, casta hæc voluptas aulæ, magnum belli Tyrocinium, Regiæque sanitatis custos & vindex, quot quantaque secum & Venatoribus & Reipublicæ affert commoda ? Mentem exhilarando beat, sensus omnes acuit, famem & appetitum excitat, juvat coctionem, succos redundantes minuit, eliminat noxios, calorem nativum adauget, corpus universum alacre & promptum efficit, somnos inducit profundos, cæterosque laudabiles præstat effectus, quos (ad sanitatem ** fovendam) equitationi non immeritò tribuit è nostris (f)

a

b *D. Jonquet. Disp. card. 18. Martii 1666.*

c *Id. & ibid.*

d *L. Gallais, Disp. Card. 31. Martii 1678.*

* (Perdices interdum, phasianos, rusticulas, &c.)

e *Oppian. de Ven. l. 2.*

f *Franc. Bailly Disp. card. 19. Martii 1737.*

a. Cum verò Venationi publicæ operam dent, in quâ Rex ducis officio fungitur, perinde ac belli tempore, cum & ipse venetur, & ut venentur alii, curam adhibeat : hæc causa est, quod isthæc exercitatio, bellicarum rerum videatur esse meditatio. *Xenophon in Cyropæd. l. 1.*

** Absit enim existimes hîc sermonem institui de equitatione, tanquam salutari morborum aliquot remedio ; Quasi verò de salubri hominis valetudine, seu functionum ejus integritate per Venatum (equestrem præsertim, utpotè Magnatibus exercendis ac recreandis perutilem) conservandâ disserere, Medicorum non esset.

Eques Illustrissimus. Vis plura? Quàm præclarum est, Heroum filios contemplari, etiamnum Ephebos, equis iisque generosis summâ freni dexteritate imperantes? Quàm suave, ludicra tractantes arma, cervisque vel apris pugnaciter insidiantes, propiùs intueri? Corporis agilitas, manuum solertia, impugnandi propugnandique artifex modus, conjecturæ locum faciunt futurum, ut sic exercitati juvenes, (g) in fortissimos aliquandò exercituum Duces, hostiumque terrorem evadant. Sic, per venaticam disciplinam Bellatores informantur egregii: sic, strenui educantur (h) milites, quibus & servantur Imperia, & propagantur. Piscatum ergo, aucupium, cæterasve Gymnasticæ artes, non utilitatis modò, sed etiam gloriæ & jucunditatis dulcedine superat venatus; in quo labores, licet maximi, voluptate sic & laudis desiderio temperantur, ut difficile sit (i) judicatu, majorne suscitetur corporis, an animi motus? Testis Magnatibus experta Cervina cædes. Hanc enim quot exercitationes corporis, quot joca, seu mentis curricula, vel antecedunt, vel comitantur, vel excipiunt? Quisquis *Dianæ* gnarus participandi sacra, & in crastinum venaturus est, hic (k) lorarii ministrum canis, ferarumve indagatores accersit. Rogat, an hærentem viderint cervum, aut petentem *lustra?* An ad μελαγχήματα errantem coegerint? sciscitatur de cornu, ramis, formâ, colore, pede, tibiâ, unguiculis & incessu. Quærit, an ex fimo & unguibus ætatem distinxerint & sexum? An sparsis hinc & inde ramalibus, facilè sint ad cervum redituri? Mox auditâ indagatorum cujusque relatione, perspectisque penitùs feræ indiciis atque vestigiis; tam ad venatum, quàm ad *panegyrim*, & frugale sub herbâ prandium, loca designat Patronus idonea. Tum, ubi subsidiariis canibus & equis oportuniora pariter selegit, (l) prostrata sopore membra componit lecto; in quo mens luderet sine pondere, nisi venationis impatientiam probaret impotentia dormiendi: unde surgunt quidam ante gallicinium, nec *Solis* moram luminibus accensis castigare pertimescunt. Protinus in futuræ oblectationis speciem disponuntur omnia. Jam incondito murmure cynegorum, servorumque aliorum huc illuc ad officia properantium, canum latratibus & tubarum clangore personat tota domus: Junguntur gemellis canes: Venatores ocreantur, qui decenter & splendidè vestibus & armis ornati, superbos conscendunt equos; venatûs ineunt viam, Cervumque jam è latibulis excitum, clamore simul & lituo insequuntur fugientem, notant aberrationem canum, & cautè adventitii hinnuli cum adulto cervo currentis eludunt frustrationem; ac proinde, dum sylvas canibus quatiunt, & utroque calcari veredos urgent, habent aliquid quod *Hyppolitus* invideret. Quid reipsâ solertius? Quid operosius, quàm per saltus enormes arduaque saxa, feras, è rupe dum evolant in rupem, aut superare prælio, aut cursu jam fractas antevertere? Quid elegantius, delectabiliusve, quàm earum astutias ac dolos, vel decipere, vel præripere? An ingenuo & nobili viro dignius aliquid potest excogitari? An-non fuit hoc semper venatoribus proprium ac peculiare, ut ad bellum laboremve, quantumvis improbum, à naturâ com-

g

h *M. A. Blondus in proœmio.*

i *N. Matthieu. Disp. card. 11. April. 1660.*

k *D. Jonquet. ibid.*

l *Id. ibid.*

g LYCURGUS Rex condiderat legem, quòd qui puberem ætatem superaverint, Venatione utantur; præter hujus ætatis homines, quos publicum officium impediebat. Idque virilis ad finem usque ætatis: maximè leves ac celeres, assueti laboribus, grandi animo, nec ubi cedentes timori, patientes frigora, nec timentes æstum, tolerantes sitim, docti corpus in nodum atque gyrum vertere, oculis experti micare, manu torquere arma, &c. *M. A. Blondus l. 4. de Venat.*

h Ex his igitur & boni milites & Imperatores boni evadunt. Quorum enim labores ex animis & corporibus turpitudinem, & ignaviam expellunt, & studium virtutis excitant; ii præstantissimi sunt; quippe qui nec injurias patriæ, nec regionis, nec agri vastationem sint neglecturi. *Xenoph. l. de Venat.*

parati & quaſi facti ſemper eſſe viderentur? Sic *Mars (m)*, ut *Diana*, duto milite gaudet. Hinc ubi ſemel, iterum atque iterum pulſus è toro cervus, venantum canumve inſidiis jam obſiſtere non potis eſt: Ubi jam defeſſus ad extremum adducitur; tum caput inclinat, ac titubanti ceſpitat greſſu; dum receptam in fauces linguam, exſucco rictu nigroque ore non amplius valet exerere. Mox in genua procumbit (*n*), aut viâ exilit Regiâ, lacrymis quaſi vitam rogaturus. Sic, vel, quàm ſibi lugendâ, tam gloriosâ venantibus, ſorte perit miſellus; vel audax, aquis immergitur; vel ultima moriendi neceſſitas, timido incutit *Cadmicæ* votum pugnæ. Nec mora; corporis enervati animoſum concutiens caput, obvios canes interdùm eviſcerat, circumſtantium equorum ſtragem facit, venantibuſque ipſis inferret exitium; niſi præſenti diſcrimine acriores facti atque fortiores, vel aperto decertarent marte, vel, cujus deſperatam fallunt immanitatem, cervum acutè jugularent. Sic dolo, ſic virtute belluam ſuperat Venator. Necis ad famam aut rumorem, jam nunc accurrunt cynegi, dicentes epinicia; canum agmina convolant; properant equitum turmæ; cuncti celebrant exequias; &, ſtatim ut amputatum à cynagogo Dominus accepit pedem anteriorem & dextrum ejus, quem ultrò ad *nebridem* aut lanienam deſtinat (*o*); Venatores victoriâ ſuâ ovantes & fame preſſi, redeunt domum, præteritorumque toto venatu hiſtoriâ & recordatione, longioris itineris faſtidia, ſi quæ ſint, conſumunt. Ergò mæror (*p*) abiit. Jam ſubiere joci: largos pectore jam hilari Venantes effundunt riſus; jam cibi potûſque appetitum alacres & læti comprimunt; jam exhauſtam diurno motu perſpirationis inſenſilis materiem, lautiori reficiunt cœnâ; ſicque recreati, graviter & arctiùs obdormiunt. Ad quid enim fuit hæc à Diis inventa, Principibuſque reſervata (*q*), quadrupedibus inſidiandi delectatio? niſi potiſſimùm ut Magnates, vel exercerentur ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ, vel curis omnibus (*r*) ac moleſtiis, quas in gubernando Imperio ſufferunt, prorſùs exolverentur.

m *Oppian. ibid. Beliſarius Aquaviva de Venat. p.* 43.

n *D. Jonquet. ibid.*

o *Id. ibid.*

p

q

r *Beliſarius Aquaviva. ibid. p.* 46.

V.

PLEBEII procul inde viri, (a) *procul eſte profani;*
Queis modicos cenſus ars vel natura miniſtrat.
Magnates tantùm, tantùmque ea pectora Regum
Gaudia pertentent; niſi vos, quos munere fungi
Servorum fortuna jubet; vel mutua vobis
Agmina qui dantes, veſtras ſuperantia vires
Audetis, centumque canes aptatis in unum.

a *J. Savary de Ven. lepor. l.* 2.

Tantæ fuit commendationis apud veteres Heroas (*b*) ſolers & artificioſa ferarum inquiſitio, non tam venationis ipſius aut prædæ, quàm fovendæ ſanitatis,

b *N. Matthiau. ibid.*

p Lege LYCURGI ſancitum fuerat ut LACEDÆMONII litarent lætitiæ. *L. Gyraldus. S.* 1. *de Diis Gentium.*

q LYCURGUS, loco jam citato. SOLON venandi voluptatem ad ſolos principes ac Nobiles pertinere cum decerneret, venationem aliis hominibus interdicit, ne, vel ab agricolis aratra, vel ab opificibus artes, vel à mercatoribus officinæ deſererentur. *F. Delaunay. ibid. p.* 36. idem decreverunt Chriſtianiſſimi Reges. *Carol. VI.* 1396. *Franciſc. I.* 1515. & 1533. *Henric. II.* 1549. *Carol. IX.* 1578. *Henric. III.* 1582. *Ludovic. XIII.* 1629. *Ludovic. XIV.* 1669.

otiique fugiendi causâ, ut *Mithridates*, (c) Princeps ille bonæ valetudinis suæ studiosissimus, per septem annos venatui continenter operam dederit, neque per ista tempora urbem ingressus fuerit, neque domos, neque tecta ruris habitaverit. *Porus* (d) aut *Phrartes* (e) Indiarum Imperator, cum rogaretur ab *Apollonio Tyaneo*, quânam igitur arte suam tandiu provexisset ætatem, hoc responsum dedit: vini tantùm ego propino, quantùm *Soli* ad sacrificium præbeo; de venationibus suis alii quidem comedunt, venatui autem ego indulgeo, ut solùm exercear, frugibus aliquot & palmarum nucleis contentus. Princeps alter, (f) ad cœnam acceptus cum cibis appositis delectari se inficiaretur, habuit responsum hoc esse, quod nec in venatu, nec in cursu laborasset; sicque fame & siti carere, quibus *Lacedæmoniorum* epulæ condiebantur. An silendi, *Æsculapius*, *Milanio*, *Palamedes*, *Ulysses*, *Mnestheus*, *Diomedes*, *Castor*, *Pollux*, *Machaon*, *Podalyrius*, *Antilochus*, *Æneas*, *Achilles*, aliique Principes Generosissimi, quos tam ob venandi dexteritatem, quàm propter desidiæ fugam, & justitiam, Diis charissimos fuisse (g) tradit historia? sed quid Græcos, Ægyptiosque venatores acerrimos, hîc memorare juvat? Cum Christianissimi Reges nostri ac Maximi Principes, vel in venando, vel in abigendâ segnitie, non deprehendantur his hominibus esse inferiores. Numquid non erubescendum erit nobis? (h) (*Meroveum Gontrandus* alloquitur:) Quid otiosi stabimus in *Regiis* ac *Palatiis* nostris, tanquam inertes & *casarii*? Accersamus equos, aves & canes, ut venemur? Si *Carolo*, *Divo & Magno*, *Galliarum* Imperatori, ejusque posteris proximè successoribus, non ea fuit, quæ *Mithridati*, venandi libido, ut per septem annos, nullas ædes intraverint; at certè, dum imperii regerent habenas, novis ita delectabantur mansionibus, ut quasi vagando (i) per agros, nunquam non equitarent, peregrinarentur, venarentur; & ab *Aquis-grano* in *Aquitaniam*, ab *Aquitaniâ* verò in *Aquis-granum*: nunc ab hoc Palatio in illud, & vicissim perpetuò migrarent, per nemora interim, saltus & scopulos, belluis insidiando. Pertinaci adeò flagrabant venandi cupiditate, hujus secundæ stirpis Imperatores ac Reges, ut non modò *forestes*, absque ipsorum jussu noviter institutas, (k) cædendas penitus atque dimittendas sanctionibus suis decreverint; sed etiam sylvas integras, venationibus licet abundantes, sibi curaverint adservandas; in quibus (l) ne Filiis quidem suis aut morari, aut venari licitum erat. An appellare licet omnes & singulos *Capetii* Nepotes ac Pronepotes bellicosissimos, qui ad Hunc Nostrum usque Regem Invictissimum continuatâ serie, nunc hostes, patriæ infensos, expugnando; nunc feras, agrestium hominum pestes, subigendo, sic imperarunt, ut non venandi laude minùs, quam bellandi gloriâ floruerint? Quid innuunt aliud (m) præclara eorumdem vel edicta, vel scripta venatica, quibus & juris administrationem, & orbem eruditum locupletavere? Sed hoc venandi studium jam increpas, tanquam præposterum, nec reipublicæ minùs, quàm venatoribus ipsismet execrandum? Quid enim (ais) licitum erit ad hanc exercitationem incumbere, quâ simul, & conteritur corpus, & animus ad injustitiam

c *M. A. Blondus. ibid.*

d *F. de Launay. de Ven. jur. p. 175.*

e *Philostrates in Dict. de Juigné. p. 2035.*

f *N. Matthieu. ibid.* (Dyonisius Syracusanus.) *referent. Hyer. Mercurial. de Gymnast. l. 3. c. 15.*

g *M. A. Blondus. ibid.*

h *F. Delaunay. ibid. p. 14.*

i *Benneton Duperrin. in Venat. encomio. p. 58.*

k De forestibus noviter institutis, "ut quicunque illas habet, dimittat, nisi fortè judicio veraci ostendere possit, quod per jussionem, Domini CAROLI Genitoris nostri eas instituisset. *Cap. Caroli Magni l. 4. c. 42. F. Delaunay ibid. p. 7.*

l In quibus ex nostris Palatiis Filius noster, si necessitas non fuerit, morari; vel in quibus forestibus venationem exercere non debeat. *Cap. Car. Calv. c. 34. F. Delaunay ibid pag. 8.*

m CAROL. IX. Gall. Rex, eleganter & ornatè scripsit de Ven. GASTO PHOEBUS Fuxensis Comes. FREDERIC. II. Imperator.

crudelitatemve interdum acuitur? An non venantes laceſſit quandoque bellua, (*n*) indomitâ feritate ruens in vulnera ferri? Non ne repetitis quadrupedum in agros decurſionibus, vaſtantur exinaniunturve arationes; dum frumenta, ſegetes, ac vitium gemmas exedunt feræ atque conficiunt? Ad hæc verò, tam rationi quàm ſenſui adverſa, veniret nullus, qui, vel perpendiſſet Heroum ac Nobilium filios pacificis bellicíſque artibus à pueritiâ liberaliter inſtitui; vel præclara noviſſet diplomata, quibus Reges Chriſtianiſſimi providerunt, ne aut à quadrupedibus, aut ab ipſo venatu detrimentum aliquod agris afferretur; vel tandem expertus fuiſſet rerum omnium, vel præſtantiſſimarum quæ corpus afficiunt, eam eſſe indolem, ut niſi modum exceſſerint, nullam queant homini vim inferre. Sic lumen, niſi nimium, non occæcat. Sic, niſi plus æquo adhibeatur, ſal benè ſapit; nec *amareſcit*. Optima igitur ſanitatis tutela erit venatio, cum præſertim huic accedet rerum ac temporum oportunitas, nec non & congrua ipſiuſmet exercitii menſura; ita ut venantum animo ingenioque, corporis & agilitas & virtus pro neceſſitate reſpondeant. Hinc *Trajano* Imperatori ſumma hæc voluptas erat, (*o*) certandi cum fugacibus feris, curſu; cum audacibus, robore; cum callidis, aſtu: nec mediocre pacis decus habebatur, ſubmota campis irruptio ferarum, & obſidione quâdam liberatus agreſtium labor. Si tamen, ſuavi quodam venandi lenocinio abreptis, arationes aliquot conculcare, Magnatibus interdum contigerit, damna nunquam non ab ipſis tantumdem fuiſſe compenſata reperies. Hinc *Philippus* & *Carolus Galliarum* Reges, (cognomine, quiſque *Quartus* & *Pulcher*) ſupremâ (*p*) teſtamenti ſui voluntate ſanxerant ut quid quid ab immanibus feris incommodi vel detrimenti accepiſſent agricolæ ſylvis finitimi, illud omne certâ quâdam pecuniæ ſummâ leniretur atque reſarciretur. Hæc fuit quondam, quæ etiam nunc viget, Chriſtianiſſimis Principibus agricultionis cura, ut infinitas propemodùm condiderint leges, quibus mercenaria colonorum opera, ſarta-tecta, vel ab ipſo venatu conſervarentur, vel à ferarum dominatu vendicarentur. An *Caroli Quinti*, Ducis *Nortmanniæ*, *Delphini Viennenſis*, ac poſtea *Francorum* Regis, conſtitutionem licet omittere, (*q*) quâ juſſit Princeps ille Sapientiſſimus, ut *leporaria* omnia noviter, vel etiam à quadraginta annis conſtructa, tollerentur penitus atque funditus everterentur, faciens cuique poteſtatem in his venandi, abſque mulctæ ullius irrogandæ metu? Nonne à *Carolo Nono*, *Henrico Tertio*, *Quartoque*, nec non à *Ludovico Magno* conſultè ſancitum (*r*) fuit, ne vel in vineis, vel in conſitis arationibus quiſquam, etſi Nobiliſſimus, venationi indulgeret, à Kalendis quidem Martiis, aut ab eo præſertim tempore, quo frumenti calamus jam incipit adoleſcere, donec ad meſſem, plenamve frugum ac fructuum perceptionem quiſque pervenerit? Numquid rei Venaticæ miniſtris eodem juſſerat diplomate *Ludovicus decimus-quartus*, ut, intra ſex ab ipſo promulgato menſes, viverræ injicerentur in ſpecus omnes, qui multifores erant in terra; donec periiſſet pars major cuniculorum, quibus Regiæ tunc *foreſtes* ac ſylvæ redundabant: idque ſub quingintarum libellarum mulctâ, & ſui muneris ad annum interdictione. Quod, ſaltuum ac nemorum magiſtris, eâdem ſanctione pariter imperabatur. Aſt quid *Galliæ* Regum in colonos, agrorumque conductores, ſtudium amoremve magis commendat, quàm *LUDOVICI DECIMI QUINTI* munificentiſſimum Edictum, à quibuſdam annis non ſemel renovatum (*s*)? Cum audiviſſet Princeps Humaniſſimus, per venaticas leges jamdiù, ob avium partus aliquot conſervandos, vetitum eſſe, ne, vel in inſulis, vel in pratis, quæ ſub voluntate ſimul & dominio Regis verſantur, fœna ſub-

n *Oppian. ibid.*

o *Plinius ſecund. in panegyr.*

p *Teſtam. Philip.* IV. 17. *Maii* 1311. *&* *Carol.* IV. 26. *Auguſt.* 1321. *F Delaunay. ibid. p.* 42.

q *Edictum. Carol.* V. 1356.

r *Diplomat. Carol.* IX. 1560. Henr. III 1579. *Henr* IV. 1599. *&* 1601. *Ludov.* XIV. 1669.

s *Edictum Lud.* XV. 4. *Junii* 1737.

secarentur falcibus ante consecratum Divo Joanni Baptistæ diem; Cumque ineunte Junio, fœna jam ad maturitatem proxima, multùm periclitari animadverteret, nisi solitum ante tempus præciderentur: decimum secundum indixit Junii diem, quo tundendi prata quisque licentiam haberet, sine ullo venatoriæ cohortis Præfectorum aut Dynastarum impedimento; Non tamen ab ipsis neglectâ partuum volatilium curâ. En Veri Principis atque Venatoris Acerrimi Mos Regius, æterna laus, perenni quidem honore digna, quo solus is Princeps inter alios Magnificus, mirabilem in modum hâc nostrâ fulget ætate. Nullum igitur Venantes arripiant maledictum ex trivio, aut ex scurrarum aliquo convicio. Turpitudinem enim & ignaviam (t) cum expellat exercitatio; cum ad eas tantùm corporis & animi motiones inclinet natura, quæ unicuique conveniunt; cum, nec satiari cibis, nec pigrum esse ad laborem, tutissima sit conservandæ sanitatis ratio; cum, venatûs exercitio pereant arcus Cupidinis, (u) citraque delectationem vitæ salubritas inducatur: An Magnatibus, Venari non erit utilissimum (x)? Nonne, dum feras insectantur, *urbanorum* effugiunt inertiam, mollitiemve quorumdam eludunt *Aulicorum*, quos sola desidia fatigat, quique toti sunt in talis & aleâ? An non cuncta Venantum viscera, equitationis beneficio leniter excitata, servatis semper naturæ periodis, motu & secretionis modo, disponunt ad circuitum vel secessum, quæcumque in illis subiguntur aut amant excerni? Hinc prælucet in eorum vultu color quidam eximius, nitorque virens & senii nescius. Sic ipsa mens alacris & læta suum veluti vigorem transfundit in corpus, omnibus vitæ muniis comparatum. Quis interea molestiæ, quis dolori locus? Quot immò & quàm varias blandæ vel honestæ voluptatis illecebras secum abripit Venatio? Quàm mirificè Procerum oculos pascit amœna ruris ac locorum varietas? Quantâ suavitate, tubarum sonitu, eorum demulcentur aures? Quàm efficax, aeris liberè inspirati serenitas? Quid, odoros si decerpserint vere flores, gaudii Venantes percipiunt? Quàm dulci alliciuntur sopore, dum recumbentes in herbâ, quiescunt? Quàm expeditum, frugale licet, montibus in supinis prandium? Qualis est æstu fervente, humi dormitio? Quàm placidus (y) fesso Venatori potus, quàm dulce lavacrum, limpida prosiliens aqua puri fontis ab antro? Quare

t *Xenophon. ibid.*

u *Rex. Modus & Regin. Ratio in l. de Venat. oblectamento. Parisiis 1526.*

x

y *Oppian. l. 2. de Venat.*

Felices, quos Ista juvant, queis tanta Voluptas
Contigit; Hoc optem vivere posse modo.

x ROMANIS solemne viris opus, utile famæ; vitæque & membris, &c. *Horat. l. 1. Ep. 18.*

Apud ROMANOS tantùm valuit Venatio, ut feras ab extremis oris ASIÆ, AFRICÆ & EUROPÆ in urbem accerserent, sicque cædibus immanium ferarum consuescerent, quò minùs hostium cruorem & vulnera, si cum hostibus dimicandum esset, perhorrescerent. *J. Bodinus in Oppian.*

Ad hominis voluptatem, utilitatem, vitæque oblectamentum, educantur animalia, ut delectabiliùs & corpora Nobilium exercitari, & pasci animus, & acui ingenium possit. *Belisarius Aquaviva Neritinorum Dux. lib. de Venat. p. 91.*

Venatio nec pace, nec bello parvi facienda: tum quia Venationis exercitio, locorum angustiæ, prærupta montium, insidiandi ars, regionis denique agnitio magis a Venatoribus percipi potest; tum etiam, quòd equitandi usu, consuetudineque venandi, aptiores ad pugnam equites, si quandoque pugnare contigerit, fient *Idem Belisarius. p. 112. & 113.*

Tam verò immanes belluas nanscimur venando, ut & vescamur his, & exerceamur venatu, ad similitudinem bellicæ disciplinæ. *M. T. Cicer. libro secundo de divinat.*

Perdit enim validas vecors ignavia vires,
Confirmat modicus, reſtituitque labor.
Illa ſenectutem, citiùs quàm debuit, affert;
Hic ævi florem, donat adeſſe diu.
Œban. Heſſus, *de bonâ valetudine tuendâ. p. 5.*

Qui Venatûs labori ac ſtudio dant operam, magnam inde voluptatem percipiunt: nam & corporibus bonam valetudinem conciliant, & viſu audituque ſunt meliori, & ſeriùs ſeneſcunt. *Xenophon. l. de Venat.*

Apud RHASEM ARABEM Medicum legitur, contigiſſe in quâdam peſte, ut dum omnes ferè perirent ægrotantes, ſoli Venatores, ob ſummam valetudinem aſſiduis exercitationibus partam, incolumes evaſerint. *Hyeron. Mercurial. de Gymnaſt. l. 3. c. 15.*

GAUD. Venatu pariter exerceor. RAT. fuit hæc quondam *Latinorum*, nunc *Gallorum* ars propria eſt, quod & res probat, & illorum ſcriptores gloriantur: itaque, ut ſileam Reges, quorum tota vita, Venatio; ſummus apud illos Regum, quantùm ab armis otii fuit, Venatu aſſiduo, ut vides, ſemper exercitus, ad extremum morti proximus, Venatu etiam laſſitudinem ſenectutis, atque incommoda refovet. Mirum dictu, in Rege præſertim litterato, nec à ſtudiis melioribus abhorrente: ſed gentilitium hoc illi erat, ut perhibent, ſitque gentilitium, ſinite. *Franciſ. Petrarch. Dialog. 32. Gaudium inter & Rationem.*

Ea namque (ut arbitror) omnium conducentiſſima eſt exercitatio, quæ non modò corpus fatigare, verùm etiam animam oblectare poſſit; & profectò qui leporum, cervorum, aprorum, cæterorumque id genus inſectationem, nec non quamlibet aliam Venationis formam adinvenerunt, voluptate, oblectamento, & cupiditate laudis, horum laborem temperantes, illi ſapientes & humanæ naturæ peritiſſimi extitere. Tantum enim in ipſo Venatu poteſt animæ motio, ut multi præ ſolâ lætitiâ morbos evaſerint. *Galen. de parvæ pilæ exercitio. l. 1.*

Natura ipſa, quæ animalia cuncta, hominis cauſâ produxit, Venationem quaſi præcipere & acceptam habere (z) videtur: Cum in ipſâ ſpectaculum nullo ſcelere contaminatum exhibeatur, & præterea corporis robur & animi vigor augeatur. Ex quo nemo non videt, quàm prudenter fecerint Medici, qui, pro exercendis corporibus, iiſque validis & ſanis conſervandis, Venationem tantopere æſtimarunt; Cujus nimirum ſtudio, antiqui illi Medicinæ Parentes CHIRON, MACHAON, PODALYRIUS, ÆSCULAPIUS uſque adeò (&) arſerunt, ut non minus in eâ laboris, quàm in artibus, in quibus plurimùm excellebant, ſibi impendendum quotidie putarent. *Hyeron. Mercurial. de Gymnaſt. l. 3. c. 15.*

z *Ariſtotel. l. 1. polit. c. 5.*

& *Xenoph. l. de Venat.*

Ergò Magnatibus, Venari ſaluberrimum.

Proponebat Pariſiis GEDEON DE RABOURS, Genevenſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H, 1737. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1737.